N. V. Constantino Hugenio
equiti dno. S. P. D.
Isaacus Gruterus

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Enixo competitorum ambitu agitur de praefectura Haganae
scholae in successorem transferenda. In istud certamen pertrahe-
re me student homines amici, sed votis hic duntaxat validi;
ut opera aliena indigeam corrogare patrocinium, et firmandae
in disceptationis aleam causae praesidia cogar a viris subsellii al-
tioris. Utinam istius campi fortunam tentare liceat nactus quoque
ex te favorem commendatiunculae, et paucis partes nostras
fautoribus aggregari non abnuas, multorum instar, validissi-
mus quippe pro tua facundia. Recensebo inferius eorum nomina, per
quos ad Consules Haganos et Senatum fieri debet relatio. Di-
spice an in illo numero noris, qui te patrocinante futurum
esse aliquid possit laboranti negotio. Tuo tibicine sustentanda
mihi spes est ne protinus labascat, utque in aciem (pene dixerim
vim) competitorum fidentius procedam. Non paenitenda quidem
hic functio obtigit, sed aliud est in illa hominum luce lite-
re, aliud in Trajectensi crepusculo agere speciosi exulis
vitam. Saltem oblatae occasioni non defuisse ingens solatium
erit mihi et amicis, qui hortantium voce instant, et vetere
nuperrime de aditu in conatus ulteriores nondum praecluso, in-
geminant stimulos. Quantum vero in te vertatur momentum
studiosis bonarum literarum, nec uno constat experimento.
Istius praesidii, late Musas amplexi, si portiunculam me di-
gneris, quamvis elementum fideliter excipio; vel in repulsa ha-
biturus copias benevolentiae tuae, exhibituras alibi in rei
melius gerendae sententiam. vale. Traiecti ad Mosam. IX
Martii. VII. Idus. CIƆ IƆC LV.

Consulum nomina Sprinter, Both van der Eem, van Duyven.
Curatores, Halling, van Duyven, Sludzo, de Raed assessor
Curiae, ut vocant, Hollandicae.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5396

Myn Heer

Myn Heer Constantin Hu-
gens Ridder, Heer van Zuili-
chem etc. woont opt plein
bij 't hooft in

'sgravenhaag

door vriend

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5396